ARQUIVO DA UNIVERSIDADE

COLÉGIO DA COMPANHIA DE JESUS
E
UNIVERSIDADE DE ÉVORA

1569

Para que os formados ou graduados tomem ordens sem património ou benefício. Breve de Pio V.

Gav. 6 - Maço 2 - N.º 30

PIVS PAPA V

Dilecte fili nr̃ Salutem et Ap̃licam ben. Licet alias nos necessitati et utilitati ecclesiae Regni Portugalliae consulere volentes Circumspectioni tuae commiserimus facultatemque concesserimus
vt si preuia diligenti informatione necessitati aut utilitati eiusdem ecclesiae expedire reperisses, quod Magistri seu Doctores, et Licentiati vel baccalarij formati in Theologia aut decretis
in approbata vniuersitate graduati, ad sacros etiam presbyteratus ordines, licet illi ecclesiasticum beneficium aut patrimonium non haberent, promouerentur, illis si preuio diligenti examine
idonei reperti forent, vt a proprijs Epis, vel de ipsorum licentia a quocumque catholico Antistite se promoueri facere possent, licentiam et facultatem concedere valeres. Nihilominus
sicut exponi nobis nuper fecit Charissimus in Xpo filius nr Sebastianus Portugalliae et Algarbiorum Rex Illustris, quoniam necessitatibus prefate ecclesiae nondum satis consultum
est, cum vltra ea beneficia, quae clericis in titulum perpetui beneficij conferri et concedi solent, multa manualia, multa etiam quibus proprij illorum beneficiati per se ipsos non inseruiunt,
multe Capelle tam hospitalium, quam Confraternitatum et aliorum etiam piorum locorum, multaque pia legata pro Missis et alijs diuinis officijs celebrandis facta reperiantur et in dies
fiant, pro quibus inseruiendis, et exequendis et pro alijs ecclesiasticis munijs exercendis, non modicus presbyterorum numerus est necessarius, Multique viri moribus et doctrina in
dies reperiantur idonei, qui et zelo deuotionis moti, Cupiunt ad sacros et presbyteratus ordines promoueri, qui ad seruitium premissorum valde utiles existerent, Verum quia in litteris
ediscendis eorum patrimonium consumpserunt, nec aliunde habent titulum ad se promoueri faciendum, obstante Concilij Tridentini decreto, a proprijs ordinarijs promoueri
nequeunt. Quare idem Sebastianus Rex Nobis humiliter supplicari fecit, vt in premissis opportune prouidere de benignitate aplica dignaremur. Nos prefate ecclesiae Portugallen
indemnitati, necessitati et utilitati pariter consulere volentes, necnon litterarum prefatarum tenores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati eidem Circum-
spectioni tuae per presentes Committimus et Mandamus, vt si preuia diligenti informatione ab eisdem locorum ordinarijs per te aut alias habenda tibi constiterit necessitati aut
vtilitati prefatae ecclesiae expedire, vt viri litterati qui per Triennium ad minus in Theologiae facultate quam casus conscientiae vocant in aliqua Vniuersitate aut collegio appro-
bato studuerint et in ea facultate bene docti et instructi morumque honestate pariter prediti fuerint, etiam si patrimonium aut ecclesiasticum beneficium non habeant, ad sacros
ordines promoueantur, et timendum non sit quod tales ordinati cum ordinis dedecore non mendicabunt, nec sordidum questum propter inopiam exercebunt, super quo tuam
conscientiam oneramus, prefatis viris taliter vt prefertur doctis, et morum honestate preditis, illis prius abs te uel personis probatae vitae et spectatae virtuti ac conscientiae adid
per te specialiter deputandis super premissis alijsque necessarijs diligenter examinatis, in quo similiter conscientiam tuam oneramus, vt a proprijs eorum Epis seu de eorum licentia a quocum-
que Catholico Antistite gratiam et communionem sedis aplicae habente, ad sacros et presbyteratus ordines promoueri facere possint et valeant, Ipsique Epi (iniuncto tamen illis vt donec
ipsis promouendis de beneficijs ecclesiasticis canonice prouisum fuerit vel ex missis votiuis seu pijs relictis aut Confraternitatum aliorumue piorum locorum, Capellis seu Coadiutorijs vel
economis beneficiorum curatorum vel simplicium aut alias, alioquin de suo proprio illis prouideant vt laborum viuant, sine mendicitate) et Antistiti prefato illos promouendi
licentiam concedere possit Auctoritate aplica per easdem presentes facultatem concedimus. Non obstantibus premissis, et quibusuis aplicis, necnon in prouincialibus et Synodalibus
concilijs editis specialibus vel generalibus Constitutionibus, et ordinationibus Ceterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romae Apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatoris
die XXV Augusti M. D. LXVIIJ. Pontificatus Nri Anno Quarto

F. de Torres

ARQUIVO DA UNIVERSIDADE DE COIMBRA

~ V ~ Macharanus ~

Collegio da Compª. de IESUS do Espirito Santo de Evora.
pª. todos os Doutores, Licenciados, e Bacharcis Formados em Univᵉ. aprovada podessem ser Ordenados de todas as Ordens Sacras a titulo de Sciencia sem Patrimonio, ou Beneficio no Reino de Portugal, e seus Dominios havendo necessidᵉ.

Breve do Papa Pio 5º dado em Roma a 25. de Agosto do anno de 1569. no 4º. anno do seu Pontificado, dirigido ao Snr Cardeal Infante D. Henrique Legado a latere do dito Papa no Reino de Portugal, e seus Dominios pª. o dar á execuçaõ, pelo qual concedeo, que todos os Doutores, Licenciados, e Bacharees Formados em Universidade aprovada, ou os que ao menos tivessem hum triennio de Theologia em Collegio aprovado precedendo hum exame de sufiencia podessem ser admittidos á receber todas as Ordens Sacras a titulo de Sciencia, sem ser preciso terem Beneficio, ou Patrimonio que lhes servisse de titulo, tendo a Igreja do dito Reino e Dominios necessidade delles; e isto se conseguio por suplica do Snr Rei D. Sebastiaõ, e se cometeo á vigilancia do dito Cardeal.